

tum vigilijs, subtilissimis elucidatum conceptibus gratuito mihi concessum, iure tibi merito debetur. Nam magnum opus non nisi sub Magni Principis erat auspicijs publico exponendum. Erit igitur donum de dono. Non dubito, quin omnes quicumq; sunt, & qui futuri sunt, hoc meum factum non admodum approbent, si te Magni Ferdinandi Avi prudentia, qui nulli fuit virtute secundus, & integerrima Magni Cosmi Patris probitate verum exprimunt simulacrum. Ternarium attributorum numero, Potentia, Sapientia, Bonitate regnat Medicea Proles. Acquisiuit sola virtute potentiã, sapientiam præstantis indolis comparauit industria; Cæli verò, ac huius soli clementia sibi à conceptione Bonitatem inspirat. Magna, inquam, vestra Potentia, Sapientia maior, maxima Bonitas. Tua igitur Potentia Sereniss, ac Clementiss. Princeps, me protege, Tua Sapientia me fove, & Tua Bonitate hoc minimũ animi mei obsequiũ hilari vultu acceptare ne dedigneris. Vale.